

consilia privatim < quae > que, at duces gregatim et, quod maxime mirum sit, mores habent praeter *cetera*, cum sint neque mansueti generis neque feri. Tanta est 12  
 natura rerum, ut prope ex umbra minima animalis incomparabile effecerit quiddam! Quos efficaciae industriaeque tantae comparemus neruos, quas uires? Quos ratione medius fidius < iis > uiros, hoc certe praestantioribus, quo < d > nihil nouere nisi commune? Non sit de anima quaestio; constet et de sanguine: quantum tamen esse in tantulis potest! Aestimemus postea ingenium.

V (6). Hieme conduntur — unde enim ad pruinas 13  
 niuesque et aquilonum flatus † perferre † uires? — sane et insecta omnia, sed minus diu quae parietibus nostris occultata mature tepefiunt. Circa apes aut temporum locorumue ratio mutata est, aut errauerunt priores. Conduntur a Vergiliarum occasu et latent ultra exortum; adeo non ad ueris initium, ut dixere, nec quisquam in Italia de aluis existimat ante fabas florentes. Exeunt ad opera et labores, nullusque, cum per 14  
 caelum licuit, otio perit dies. Primum fauos construunt, ceram fingunt, hoc est domos cellasque faciunt, dein subolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem e lacrimis arborum quae glutinum pariunt,